



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Cautela Confessarii Pro Foro Sacramentali Occasione
Decretorum S. M. Alex. VII. Innoc. XI. Et Alexandri VIII. ...**

Matthaeucci, Augustín

Francofurti Ad Moenum, 1711

Lector.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40684

LECTOR.



Traberis, cur tot post illustrium Virorum in Theologia Morali edita mira eruditionis, & pietatis Scripta, omnibus numeris absoluta, hac ipsa ego luci commiserim; qua proinde singulis supervacanea, meque rem actam egisse dixeris; cum potuerim nil edicere, quod pluries non recensatur prolo submissum. Quod quidem, fateor, me studioso ab incerto subtraxisset labore, nisi Amicorum accessisset autoritas; eoque corripuisset timorem, recepto communi principio, quod, ideo vetitum non presumitur, quin plures pro aequè, ac utili scribendi hoc occupentur in munere, ut Librorum frequentia genium hominum expleant: cum non omnes uno, sed alio alius delectetur Scriptore, prout brevi, diffusove utitur stylo, clara, vel confusa loquitur methodo. Hisce victus, refectusque (quamquam inter ceteros cinis) calamo commendavi provinciam, credens fortasse non singulos fore, ut pigeat legere Opus, quod, juxta vulgatam paræmiam.

Omnia longa solent cunctis fastidia ferre,

Quæ comprehensa brevi sunt, benè culta placent.

Animarum Curatoribus, & sacris pro Foro Pœnitentiæ Judicibus paravi, nec nimia brevitate minutum, nec fastidiosa prolixitate prægrave. Ea referens ad præxim Confessariis idonea in unum redacta, qua diffusis, sejunctisque Voluminibus leguntur dispersa; ut quos tædet, prægrandes Doctorum excurrere Cordices, præsens, velut ipsorum Epitome, lectitet.

Nec reprehendar, quia brevis: cum non eam brevitatem amaverim, inquam illis Horatius invehitur:

Dum brevis esse volo, obscurus fio.

Sed potius piger, tacensque, ad phrasim Ausonii,

Nemo silens placuit, multi brevitate loquendi:

debuisset damnari. Dum, non tam brevi, quam clarè dubia resoluta pro viribus tangam.

Quod si nec uni utilis fuero: sat est, mihi nonnihil profui; dum hac in occupatione defixus, otium abegi, devici socordiam, sequens sententiam Hieronymi in cap. Nunquam, de Consecrat. distinct. 5. ubi: Scribantur & Libri: & manus operetur cibos, & Anima saturetur lectione: In desiderijs est omnis otiosus.

Sed

Sed, duo notes, velim. Unum, hic meum non fuisse in examen vocare, quo sensu fuerint à Summis Pontificibus Alexandro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII. Theses proscriptæ quoniam id S. Sedis iudicio reservari non dubito, sed solam in utilitatem Animarum, ad praxim, & usum Sacræ Confessionis, occasione Degretorum, per quæ præacta damnantur, referre, & solvere dubia, quæ examinantur non raro in ea ipsa materia, quam respectivè aboleti tanguit errores. Quod si, favente Deo, evenerit, voti compos ero, & opera pretium me fecisse arbitrabor.

Alterum, quod mediocritatem delegens, quæ sedes virtutis, & veritatis unice noscitur, extrema opinionum vitavi: sciens equale vitium, tum eorum esse, qui ad opinionum, & morum laxitatem divertunt: tum caterorum, qui in oppositam, nimiamque rigiditatem deflectunt; nam sicut noxia indulgentia laxior exurgit, ita immoderata in perniciem conscientia serpit rigiditas. Enimverò hæc à præceptis non discernens consilia, Homines ad nimis ardua compellit; dum audita rigidiorè doctrina, dubitant, creduntve culpam mortalem ibi esse, ubi nec minimum levis est umbra. Illa verò propugnans, etiam in atrocissimis licentiam, ipsa fovet peccata. Hac propterea gliscit malitia: illa nil proficit virtus. Utraque itaque cavenda, & Regia procedendum est via, juxta doctrinam Divi Bonaventuræ Tom. 7. Lib. 2. Compend. Theol. Verit. cap. 52. ubi: Cavenda est conscientia nimis larga, & nimis stricta; nam prima generat præsumptionem, secunda desperationem: item, prima sæpè dicit malum, bonum; secunda è contra, bonum, malum; & infra: Error conscientia causatur ex singularitate, qua Homo sequens sensum proprium, non conformat se aliis, nec sequitur vias honorum.

Utramque declinare satègi. Hinc communi Doctorum iudicio me conformans, per Canonum, Conciliorum, Sedisve Apostolicæ Decreta sæpè dubiis responsa reddidi: & non semel auream, quavis laude majorem, Divi Thomæ doctrinam adhibui, ac juxta magis receptas Casuistarum sententias questiones aperui, Cautelam insitui.

Habes, quod sentio. Interea iis utere, quæ exhibeo; & si quid boni deprehenderis, non meo tribuas ingenio, non labori: sed Deo omnium Authori, qui aperit os mutorum, & linguas Infantium facit esse disertas, gratias repende; sin aliquid animadversione dignum offendas, veniam infirmitati non deneges, imbecillitatem damna, & Deum mihi propitium exora. Vale.

APPRO-